Q. D. B. V!

DE

PERPETVITATE ECCLESIAE EVANGELICAE,

AVSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

ELECTORATVS SAXONICI HEREDIS,

ETC. ETC.

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

e Cathedra B. LVTHERI

PVBLICE EDISSERENT

PRAESES

GOTTLIEB VVERNSDORFIVS,

SS. Theol. Doct. & P.P. nec non Alumn. Sax. Inspector,

ET RESPONDENS

PAVLVS SIMONIDES,

Radvanio-Hung.

Cal. Octobr. cIↃ IↃ cc VIII.

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE, Literis CHRISTIANI GERDESII.

Coll. diss. A
235, 16

Diss. A. 235 (16)

45. LXXIV. 4°

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

http://digital.slub-dresden.de/ppn328073946/1

gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächs.
Landes-
Bibl.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn328073946/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

§. I.

Pontificii ſuperſtitiones ſuas, & reditum ad easdem, noſtratibus perſvaſuri, cum aliis multis, tum eo potiſſimum argumento utuntur, Eccleſiam oportere eſſe viſibilem, ac conſpicuam, & gaudere perpetua, & non interrupta ſucceſſione Epiſcoporum, aliorumque miniſtrantium in Eccleſia. Noſtram vero, quam illi Lutheranam, nobis non repugnantibus, nominant, novam eſſe, & cum Luthero demum cœpiſſe, ante quem non cœtus tantummodo nullus, ſed ne homo quidem, per XV. ſecula fuerit, qui eadem docuerit per omnia cum Luthero. Quum proinde extra Eccleſiam ſalus obtineri non poſſit, eandemque perpetuo duraturam eſſe ipſi confiteamur in ſymbolo, vel noſtro ipſorum judicio patere, quod hactenus extra Eccleſiam verſemur, & noſtratium ſalvari nemo poſſit, niſi qui relicto Lutheranorum cœtu redierit ad Papiſticum.

§. II. Quæ utut ſpecioſius, quam verius diſputentur, quum, quæ de Eccleſia inviſibili & Catholica erant intelligenda, male illi trahant ad ſuam, & noſtri non ab Eccleſia univerſa, & vera, ſed ab Romana, & corrupta ſeceſſerint; dolendum tamen eſt, hoc admoto ariete, non paucos, & olim expugnatos fuiſſe, & etiam nunc expugnari, atque induci, ut ſacra emendatiora, & noſtra, cum corruptis, iisque Pontificiis, commutent. Jacobus, Marchio Badenſis, hoc potiſſimum argumento ad deſerendam religionem puriorem inductus videri voluit. Hinc *Emmendingæ*, in Colloquio *Seſſ. V. n. 211.* poſtulabat reſponderi ad quæſtionem: *ob Lutheri Religion vor Luthero* in viſibili Eccleſia *geweſt ſey?*

 dicens:

dicens: *Ich will Prediger haben zwischen den 600. Iahren der Apostolischen Kirchen, die es mit Luthero allerdings gehalten, darzu dringt mich mein Conscientia.* Et in libello de causis mutatæ a se religionis p. 16. *Es ist*, inquit, *letzlich an ihn*, (D. Pappum in colloquio) *gesetzt worden, daß er doch zum wenigsten in 1500. Jahren einen einigen Menschen, so seine Religion, der Lutherischen gleichmässig, in allen bekennet, und geglaubet hätte, andeuten; oder hergegen gestehen wolle, daß seine Religion neu, und in der Welt, nach den Aposteln biß auf Lutherum unerhört, und ungepredigt blieben wäre, darauf man mit der Disputation fortschreiten wolle: Damit er uns gleichwohl lange aufgehalten, aber doch endlich sich selbst aus diesem Werck zu ledigen diesen Beschluß gemacht: Dieweil er eine Person, so der Augspurgischen Confession in 1500 Iahren durchaus gleich geglaubt habe, zu ernennen gedrungen würde, so wolle er im Nahmen Gottes hiermit den Heil. Augustinum dafür benennet, und angegeben haben; Und daß er solches glücklichen ausführen könne, begehre er 3. oder 4. Monathe Bedacht, und Zeit, unterdeß er zu Hause ziehen, und solches zu Wercke richten wolle.* Quod tempus tamen non expectavit Marchio, sed eo nondum elapso ad Pontificios transiit, infelici quidem successu, quum non ita multo post fatis concederet. Eandem defectioni suæ causam, prætexuit, famosus ille Apostata L. Andr. Frommius, qui *p. 407. der Wiederkehrung*, scribit: *Es sey unmöglich nur einen einigen Lehrer in allen den 1500. Jahren zu nennen, der in allen nöthigen Lehr-Stücken mit Luthero eingestimmet hätte: Wer nur einen Tag in den alten Scriptoribus Ecclesiasticis lese, der sehe bald, daß der Lutherische Glaube, so weit er Lutherisch ist, darin nicht zu finden sey.* Sed & hodie in *Ungaria* homines vix alio facilius argumento ad defectionem

ab

ab agnita veritate vel ſollicitantur, vel etiam inducuntur, quam illo, quod a religionis Lutheranæ novitate, Romano-Catholicæ autem antiquitate, perpetuoque ſplendore, & non interrupta doctorum ſucceſſione petitum eſt.

§. III. Etſi proinde ad hæc ipſa dudum, & opera data reſponſum a Noſtris fuit, utpote *D. Balduino*, in diſputatione de Vera Chriſti Eccleſia ante tempora Lutheri, *Heilbrunnero, im uncathol. Pabſtthum*, Art. XV. c. 7. *Vittembergenſibus in Reſponſ. über die Religions-Scrupel* T. I. Conſil. f. 194. *Theod. Thummio* in Luthero θαυματέργῳ c. XV. *Andr. Keslero, im Lutherthum p. 258.* B. *Auguſt. Pfeiffero* & *Jo. Jac. Beckio im Lutherthum vor Luthern, p. 150. ſeq.* imprimisque *Dn. D. Fechtio*, quem Deus in ſolatium Eccleſiæ ſuæ ſervet! in Hiſtor. Colloqu. Emmending. p. 220. tamen quia, ſecundum illud tritum, nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur; ſatisfacturi deſiderio illius, qui Reſpondentis ſibi partes hac in diſſertatione ſumpſit, *de perpetuitate Eccleſiæ Lutheranæ*, ſic diſputabimus, ut eandem ab impacta novitatis macula liberemus.

§. IV. Relictis autem omnibus, quid nomine *Eccleſiæ* intellectum velimus, expediendum eſt. Auguſtana Confeſſio *Art. VII.* definit, quod ſit *congregatio ſanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte adminiſtrantur ſacramenta.* Qua quidem definitione cœtus & *Vocatorum, & Electorum* includitur. *Sancti* enim homines dici poſſunt duplici modo. Primo propter *externam vocationem*, per quam a reliqua perditorum hominum multitudine ſunt diſtincti, quo ſenſu Vocati omnes *ſancti* appellantur *Rom. I, 7. Phil. IV, 21. 22.* Deinceps ob *internam regenerationem*, & ſpiritualem ad Deum *converſionem*, per quam a peccati tum reatu, tum dominio, liberantur, *1. Cor. VI, 11. 2. Cor. VII, 1.* Prioris

generis *ſancti* tales ſe eſſe probant *externa* religionis Chriſtianæ *profeſſione;* poſterioris generis tales ſunt, per *internam* cum Chriſto *communionem*, fideique per charitatem demonſtrationem. Unde Apologia *Art. VII.* docet, *Eccleſiam eſſe homines ſparſos per totum orbem, qui de Evangelio conſentiunt, & habent eundem Chriſtum, eundem Spiritum S. & eadem Sacramenta &c.*

§. V. Bellarminus *L. III. de Eccleſ. c. 2.* eandem definit, quod ſit *cœtus hominum, ejusdem Chriſtianæ fidei profeſſione & eorundem ſacramentorum communione, ſub regimine legitimorum Paſtorum & præcipue unius Chriſti in terris vicarii, Romani Pontificis, colligatus.* Cujus veſtigia legit *Gregor. de Valentia, Tom. III. Comment. Diſp. I. Qu. 1. col. 169.* ſcribens: *Vera Chriſti Eccleſia alia non eſt, niſi ea fidelium congregatio, quæ paret Romano Pontifici pro tempore exiſtenti.* Quam ſententiam *P. Valerianus in Colloqu. Rheinfelſenſi*, repetiit his verbis: *Dicimus, homines communicantes in fide cum Pontifice Rom. conſtituere illum cœtum, qui ſolus eſt vera Eccleſia Chriſti, p. 11.*

§. VI. Sed enim hoc ipſum, quod Eccleſia ſit cœtus *ſub regimine Romani Pontificis colligatus*, Pontificii olim Auguſtæ Vindelicorum non auſi ſunt requirere ad Eccleſiam, nec id in ullis etiam veteribus lexicis, ac ne in ipſo quidem Catechiſmo Romano, requiritur. Primus igitur, ut opinor, *Bellarminus* adjecit, quo excluderet ſchiſmaticos, Græcos, & hæreticos ab Eccleſia, quem hac in parte recentiores Jeſuitæ ſequuntur, ſed timide. Utut enim, præter jam citatos, etiam *Becanus, Leſſius*, aliique, hoc membrum ad eſſentialem Eccleſiæ definitionem requirant, *Pazmannus* tamen in *Hodeg. L. VIII. 1.* fatetur, illud non eſſe de eſſentia Eccleſiæ, nec ſe privare poſſe totum orientem, ſub Romani Pontifi-

cis

cis regimine nunquam colligatum, communione Ecclesiæ. *Gordonus Jesuita Tom. I. Controv. Contr. II. de Eccles. c. 1.* quinque proprietates Ecclesiæ allegat, colligationem tamen sub uno visibili capite inter eas referre non sustinet.

§. VII. Et vero, si illi solam Ecclesiam veram constituunt, qui ab eodem visibili capite, P.R. gubernantur, quid fiet de Ecclesia V. T.? Quid dicendum de Ecclesia tempore Christi & Apostolorum collecta, quando ne nomen quidem Pontificum Rom. innotuit? Quid fiet de Græca, quæ nunquam R.P. imperium agnovit? Quid? si deficeret, aut laberetur in hæresin, quod fieri posse fatentur Pontificii *Can. si Papa Dist. XL. Bellarm. L. IV. de R. P. c. 2. resp. ad. 21.* ubi tunc maneret Ecclesia? Et, quo quæso in loco Scripturæ, inter Ecclesiæ requisita refertur, *sub uno visibili capite vicarioque J.C. in terris conjunctum, sociatumque esse?* Quando, & ubi hoc privilegium accepit Antistes Romanus, quod debeat reliquis omnibus, per totum terrarum orbem, Episcopis anteferri, & quod sibi debeat in eos imperium sumere, quodque constitutus sit caput visibile totius Ecclesiæ, ipsiusque adeo Servatoris in terris vicarius? Nondum evictum est, Romanos Antistites Petri Apostoli successores esse: & si vel maxime esset ostensum, quod illius successores essent in cathedra, certum tamen, & explorato verum est, eosdem non successisse omnes in doctrina. Quando enim, aut ubi Petrus traditiones, præter Scripturam, ursit? Ubi adorationem imaginum, & sanctorum invocationem laudavit? Quo loco docuit, homines salvari per bona Opera, & studium charitatis? Ubi purgatorium, & septenarium sacramentorum numerum statuit? Ubi is, contra expressam Servatoris voluntatem, calicem surripuit Laicis, aut communionem sub una approbavit, ut alia doctrinæ capita omittamus.

mus. Atque, ut ad regimen Ecclesiasticum transeamus, num id unquam præ se tulit Petrus, quod totius Ecclesiæ sit caput, aut Christi constitutus vicarius in terris? Columen illum Ecclesiæ judicatum fuisse, legimus *Gal. I, 9.* sed nec solum, nec ob peculiare aliquod privilegium, sed una cum *Joanne* atque *Jacobo*, & ob dotium, divinitus acceptarum excellentiam, non vero ob quandam ab ipso Servatore, per modum privilegii, collatam potestatem ac eminentiam. Ipse Petrus ea fuit modestia, ut se *συμπρεσβύτερον* appellaret *1. Ep. V, 2.* nec meliore loco, quam reliqui vel Apostoli, vel ab Apostolis constituti Antistites, & Presbyteri, haberi vellet. Norat nimirum, hunc titulum, atque hanc dignitatem Domino, non servo, Magistro, non discipulo, Deo ipsi, non homini deberi, quod sit caput Ecclesiæ, ac Princeps. Principis enim est potentissime moderari rem publicam, & dirigere: Capitis est influere in membra corporis, totumque corpus spiritibus a se diffusis adimplere, quasique animare. Nullius autem hominis, & ne Apostoli quidem, ac sigillatim Petri, ea potentia & vis est, ut possit gubernare totam Ecclesiam, nec Spiritus, a quo ducendus est sanctus Dei cœtus in veritatem, ab hominibus, sed Christo, & petendus est, & expectandus. Hic per emissum a se Spiritum & Doctores constituit, & sanctos præparat, & verbum efficacia armat, denique membra omnia vera in se fide conjungit secum, & animat. Hic ipse *αὐτοπροσώπως* nobiscum est, omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Uti vero Princeps, quoad ipse adest in regno, non temere sibi legatum quendam, aut vicarium constituit; ita nec Christo opus est quodam in terris vicario, ac legato, ad gubernandam Ecclesiam, cum ipse super omnes cœlos evectus, sedeat ad dextram gloriæ Patris sui, impleatque omnia,

& po-

& potentissime, sapientissimeque gubernet *Ephes. I, 22. 23.* Non igitur præcise requiritur ad Ecclesiam, ut sub uno capite, Romano nimirum Pontifice, sit colligata. Unde in ipso *Catechismo Romano ad Art. 9.* Symb. Qu. 2. retinetur definitio Augustini in Psalm. 149. *quod Ecclesia sit populus fidelis, per universum orbem dispersus*, quæ quidem cum ea, quam supra ex Apologia dedimus, egregie convenit. Denique colligationem sub uno visibili capite non esse necessariam, pridem ostendit *Nilus* Archiepiscopus Thessal. ab initio libri *contra primatum Papæ*, & ex Latinis *Guil. Occam* in peculiari Libro de *auferibilitate Papæ ab Ecclesia T. II. Monarch. Goldast.* Conf. *Hülsem. Prælect. in Form. Concord. pag. 749.*

§. VIII. Sufficit igitur ad Ecclesiam, si sit cœtus, *in quo recte docetur verbum Dei, & administrantur Sacramenta.* Interim hic ipse cœtus diversimode capitur in Scripturis. Aliquando enim sumitur pro cœtu *vocatorum* promiscuo, ut in salutationibus Apostolicis, quando sub initium epistolarum, universam alloquuntur ecclesiam, e piis & impiis, sinceris, & hypocritis collectam. Aliquando autem sumitur pro cœtu *Electorum*, non sensu quidem proprio, & *stricto*, prout electi sunt ii soli, qui in fide ad finem usque vitæ perseverant; sed *laxiore*, & amplo, ut intelligantur omnes vere credentes, ac sancti, seu de cetero in fide sint perseveraturi, vel non perseveraturi. Quo quidem considerandi modo Ecclesia exquisitis laudibus, ac titulis, evehitur in Scriptura, & salutatur, *grex* Dei, *Jes. XL, 11. Jo. X, 12. Luc. XII, 32. sponsa* Domini *Jes. LXII, 5. Jo. III, 29. Ap. XXII, 17. Corpus* Domini *Eph. IV, 15. V, 23. Col. I, 19.* Ecclesia *gloriosa*, non habens maculam, aut rugam, aut aliquid tale, sed sancta & inculpata *Eph. V, 25.*

§. IX. Utroque ſenſu eidem competit *perpetuitas*. Deus enim ſemper extare vult inter homines *externum* quendam, *viſibilemque* cœtum, in quo proponatur verbum, & diſpenſentur Sacramenta. Unde & utrumque horum ſingulari quadam vi, atque efficacia, inſtruxit, quo, eorundem beneficio, homines ad hunc cœtum perduci poſſint. *Sicut enim deſcendunt imber, & nix, de cœlo, & non revertuntur eo, ſed inebriant terram, & germinare eam faciunt; ſic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo: non revertetur illud vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud*, dicit Dominus *Jeſ. LV, 10.* Et cap. *LVI, 21. Hoc eſt fœdus meum cum eis: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui a modo, & usque in æternum.* Quidam e Veteribus perpetuitatem Eccleſiæ *vocatorum* ſic probat: Deus manet *Pſal. IX. 8.* Manent ejus conſilium & voluntas, *Jeſ. XLVI, 10.* Verbum ejus manet *Jeſ. XL, 8.* Manent homines prædicantes *2. Cor. V, 18. 19. 20.* Homines audientes *1. Jo. III, 11.* Homines recipientes *Jeſ. LV, 11.* Ergo manet Eccleſia. Quam concludendi, ac demonſtrandi rationem non eſt cur improbemus.

§. X, Præcipue tamen Perpetuitas competit cœtui *Electorum*, eique *inviſibili*. Ad hunc enim imprimis pertinent luculentæ promiſſiones, quod portæ inferorum adverſus eam non ſint prævalituræ *Matth. XVI, 18.* & quod velit adeſſe nobis omnibus diebus, usque ad conſummationem ſeculi *c. XXVIII, 29.* Scimus enim Chriſtum eſſe Regem, Paſtorem, ſponſum, & caput ſuæ Eccleſiæ. Uti vero Rex non eſt ſine regno: Paſtor ſine grege: Sponſus ſine ſponſa: Caput ſine corpore; ita nec Chriſtus eſt ſine Eccleſia, quæ eſt regnum ejus *Jo. XVIII, 36. Luc. XVII, 20.* grex

ejus

ejus *1. Petr. V, 3. Jo. X, 12.* ſponſa ejus *Jo. III, 29. Oſ. II, 19. 2. Cor. I, 22. Eph. V, 25.* corpus ejus *Eph. I, 23. IV, 16. V, 23. Col. I, 18. III, 25.* Pro hoc cœtu interpellat Filius Patrem, ut eum in nomine ſuo ſervet, *Jo. XVII, 11.* etiam nunc, ſedens ad dexteram Dei Patris *Rom. VIII, 34. Ebr. IX, 24. 1. Joh. II, 1.* Cujus preces ut nunquam irritas eſſe novimus ex *Jo. XI, 42.* ita vel hoc uno de *perpetuitate* Eccleſiæ Electorum, ſeu inviſibilis, conſtare poteſt.

§. XI. Interim in eo non parum a Pontificiis peccatur, quod ad Eccleſiam Romanam imprudenter trahunt, quæ cœtui divino, per totum terrarum orbem diſperſo, fuerant tribuenda. Nullibi enim Deus promiſit perpetuitatem huic aut illi cœtui ſigillatim. Quin potius rerum geſtarum monumenta teſtantur, florentiſſimas olim Eccleſias progreſſu temporis ita diminutas, ac diſſipatas fuiſſe, ut earum nec vola, nec veſtigium ſit ſuper. Et annon Deus ipſe cœtui Epheſino minatus fuit, ſubtrahere ſe velle Evangelii lucem, niſi reſipiſcat? *Apoc. II, 6.* Quod vero Pontificii illud Servatoris: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam, & portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam Matth. XVI, 18.* perpetuo crepant, ſuæque Eccleſiæ vindicant, id, quam jejunum, ac frigidum ſit, omnes intelligunt. Nec enim eo in loco Epiſcopus Romæ creatur Petrus, aut quod in illius perſona recumbere debeat occidentalis Eccleſia docetur, nedum Romanæ Eccleſiæ, neſcio quæ, perpetuitas promittitur; verum, quod illa, quam Petrus de Chriſto ediderat, *Confeſſio*, fundamentum futura ſit Eccleſiæ totius, cui, tanquam petræ firmiſſimæ, hæc ipſa ſit inædificanda, & quod, dum eidem inædificata maneat, & piam illam de Chriſto confeſſionem tueatur, atque cuſtodiat, ne portæ quidem inferorum, i. e. Satanas, cum omnibus ſuis

artibus, armis, & insidiis, adversus eam sint prævalituræ. Quod igitur totius Ecclesiæ corpori, idque *sub conditione*, promissum fuit, id ad Romanam, tanquam partem ejus, trahi simpliciter non potest.

§. XII. Neque etiam illa, de qua agimus, *Perpetuitas*, sic accipi debet, quasi perpetuo *flore*, eoque vel *externo*, atque *civili*, vel *interno*, atque *spirituali*, sit gavisura Ecclesia. Nam quod ad *florem civilem*, externumque splendorem attinet, Ecclesia vexationibus tyrannorum sic opprimi potest, ut vix facies illius transpareat. Meminerimus temporum Eliæ Prophetæ, quibus merito querebatur vir Dei: *Dereliquerunt fœdus tuum Israelitæ, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio: cumque ego relictus sim solus, etiam quærunt vitam meam, ut auferant eam* 1. *Reg. XIX*, 10. Meminerimus μετοικεσίας Babylonicæ, qua universa Judæorum Ecclesia depressa jacuit. Meminerimus temporis Maccabæorum, quo ingens tempestas detonuit in rigidiores divinæ legis vindices & custodes, quod e 1. *Macc. cap. I. 43-67.* ostendi potest. Itaque Apostolus *Ebr. XI*, 37. *& 38.* scribit: *Lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, gladio cæsi, mortui sunt, oberraverunt cum ovillis, & caprinis pellibus, destituti, afflicti, male habiti: quibus indignus erat mundus, in desertis errantes, & montibus, ac speluncis, & cavernis terræ.* Postremo, quando sub N. T. initia princeps Apostolorum Dominum abnegavit, reliqui diffugerunt, Christus ipse sublatus in crucem fuit, nemo denique vel hiscere adversus senatus Judaici, & Pontificum decreta ausus fuit, ubi tunc fuit Ecclesiæ flos, externusque splendor? annon ad incitas redacta, vel prorsus extincta poterat videri? Perpetuitas ergo Ecclesiæ veræ cum perpetuitate, vel continuatione *splendoris externi*, conjuncta semper non est, ut persvasi sunt Pontificii.

§. XIII.

§. XIII. Aliquando etiam flos *interior*, atque *ſpiritualis*, & qui maxime decet Eccleſiam, deficit, quando nimirum errores magno numero, doctrinam, vitia, & omnis generis ſcandala, mores hominum inquinant, & corrumpunt. De hujus floris defectu toties conqueruntur Prophetæ, quoties Iſraelitas ad hoc illudve idololatriæ genus cateruatim prolapſos fuiſſe memorant. Sigillatim Jeſaias, quam miſera fuerit Eccleſiæ facies, ſuo tempore, graviter exponit Capite I, 3. ſeq. *Ah!* inquit, *gens peccatrix, populus gravisſimus iniquitate, ſemen maleficentiſſimum, filii corruptores: dereliquerunt Jehovam, contemptim irritaverunt ſanctum Iſraelis, abalienantes ſeſe averterunt retrorſum. Quamobrem percutimini amplius, augetis apoſtaſiam? Totum caput confectum eſt eadem ægritudine, & totum cor languidum, a planta pedis usque ad caput non eſt in iſto corpore integritas, ſed vulnus, & tumex, ac plaga ſanioſa: neque exprimuntur, neque alligantur, denique nulla emollitur unguento. Reliqua facta eſt filia Sionis ut tugurium in vinea, ut tegillum in cucumerario, ut civitas deſolata. Niſi Jehovah Zebaoth reliquos feciſſet nobis ſuperſtites, utcunque paucos, ut Sodomum eſſemus, Hamoræ ſimiles eſſemus.* Eliæ tempore cum ſplendore externo interior quoque, & ſpiritualis, in Eccleſia Iſraelitica eo usque defecerat, ut ſe ſolum, ex omni piorum numero, ſupereſſe crederet Propheta. Servatore ipſo in terris verſante, Deum immortalem! quam exiguus erat Eccleſiæ Judaicæ, ac prope nullus nitor. *Doctrina* Phariſæorum & Legisperitorum cavillationibus, humanique ingenii commentis, & veterum traditionibus fœdiſſime erat corrupta: Ignorabatur Deum eſſe Patrem, Filium & Spiritum S. Meſſiam futurum eſſe verum Deum: opus eſſe regeneratione ad ſalutem. Negabatur reſurrectio carnis, & immortalitas animæ. *Mores*

ipsi vel manifesto improbi erant, vel ad speciem magis, & ostentationem, quam veram solidamque pietatem compositi.

§. XIV. Sub novi fœderis initia divinior cœtus doctrina quidem, & moribus, exquisite exsplenduit, quum sermo Dei crescceret, ac multiplicaretur discipulorum numerus *Act. VI, 7.* cum perseverarent in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precationibus *c. II, 42.* cum multitudinis credentium cor unum esset, & anima una *Act. III, 32.* quum Romanorum fides ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ prædicaretur, *Rom. I, 8.* cum Corinthii ditati essent, ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει *1. Cor. I, 5.* Quum Ephesii & Colossenses fidem in Christum, & charitatem erga omnes sanctos ostenderent *Eph. I, 15. Col. I, 4.* Interim, qua munditiem doctrinæ, seculo jam tum secundo, splendorem imminui cœpisse ex *Egesippi* fragmento apud Eusebium *L. III. c. 32. f. m. 104.* discimus, qui scribit: *Ecclesia, usque ad Simeonis Cleophæ, Episcopi Hierosol. tempora instar cujusdam virginis, integra atque incorrupta permansit: adhuc in obscuro recessu delitescentibus, quicunque rectam prædicationis Evangelicæ regulam depravare nitebantur. Sed postquam sacer Apostolorum cœtus vario mortis genere extinctus est, effluxeratque jam ætas hominum illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant: tunc demum exorta est impii erroris conspiratio, fraude & malitia falsorum doctorum, qui, utpote nullo amplius ex Apostolis superstite, posthæc nudo, quod ajunt, capite adversus prædicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt.* Quæ verba, etsi *Valesius* in suis ad h. l. observat. f. 55. male ad totam Ecclesiam extendisse putet Eusebium, quum de una Hierosolymorum Ecclesia locutus fuerit Egesippus, & certum sit,

Eccle-

Eccleſiam Catholicam ſemper integram, atque intemeratam permanere, & caſtitatem ejus nullo motu ab hæreticis poſſe corrumpi; minime omnium tamen errorem commiſiſſe Euſebium arbitror, qui totum Egeſippi opus inſpexit, adeoque multo rectius, quæ ſit verborum ejus ſententia, potuit judicare, quam nos, qui nihil, præter fragmenta quædam ejus, habemus. Deinceps ſi de Hieroſolymitana ſolum Eccleſia locutus eſt Egeſippus, cur *illibatam* hujus virginitatem Apoſtolorum cuſtodiæ, *vitiatam*, eorum coetui extincto adſcripſit, quum conſtet plerosque omnes ingentibus locorum intervallis Hieroſolymis abfuiſſe, adeoque virginem illam corrupturos hæreticos arcere non potuiſſe? Quin potius ex eo, quod intemeratam Eccleſiæ virginitatem a totius Apoſtolorum collegii cura, cuſtodiaque deducit, inferimus, eum non modo de Hieroſolymitana, ſed tota Chriſtiana Eccleſia locutum fuiſſe, quippe cujus univerſæ curam geſſiſſe ſanctos Dei viros certiſſimum eſt. Etſi ergo *Electorum* coetus ſeduci non poteſt, ſed integer ſemper, ac purus manet *Matth. XXIV, 24. Vocatorum* tamen coetum deficere a *ſplendore interno*, qua *doctrinam*, poſſe, & actu ipſo defeciſſe, Egeſippi, Euſebiique auctoritate oſtendimus. Et vero annon maxima pars Eccleſiæ Chriſti in Arianiſmum incidit? *Ingemuit totus Orbis*, ut *Hieronymus* loquitur, in dial. c. Luciferianos, *& ſe Arianum eſſe miratus eſt*. Phrygiam Montaniſtæ, Donati peſtis maximam Africæ partem occupavit. In libello quem Imperatori contra Cæcilianum obtulerunt, *ſe Catholicos*, *& partem majorem* appellarunt. Orientis provincias magna hæreticorum agmina invaſerunt, a quibus nec dum easdem purgatas eſſe conſtat. In Britannia, Pelagii hæreſis: in Hiſpania, Græciaque, Arii perfidia multis annis regnavit. Quibus omnibus interiorem Eccleſiæ Splendo-

rem,

rem, quatenus doctrinæ munditie continetur, vehementer obscuratum fuisse liquet.

§. XV. Sed & perpetuitas ad sanctimoniam, nitoremque in *moribus* extendi non debet. Etsi enim prioribus saltem a C.N. seculis magno studio severior custodita est disciplina, coeperunt tamen seculo jam jam III. mores Christianorum corrumpi, & ad deterius vergere. In luxum, ac proterviam feminarum graviter detonat *Tertullianus*, *de cultu feminarum*, *de velandis virginibus*, *de pudicitia*, & alias. Nec leviter de corruptelis morum queritur *Cyprianus Epist. VI. f. 15.* ed. Rigalt. *Quædam*, inquit, *audio inficere numerum vestrum, & laudem præcipui nominis prava sua conversatione destruere. -- Cum quanto nominis vestri pudore delinquitur, quando alius ab aquis temulentus, & lasciviens demoratur : alius in eam patriam, unde extorris factus est, regreditur, ut deprehensus non quasi Christianus, sed quasi nocens pereat. Inflari aliquos, ac tumere audio. -- Quid deinde illud, non deesse, qui Dei templa, & post confessionem sanctificata, & illustrata membra turpi, & infami concubitu suo plus maculent, cubilia sua cum feminis promisca : quando & si stuprum conscientiæ eorum desit, hoc ipse grande crimen est, quod illorum scandalo in aliorum ruinas exempla nascuntur &c.* Eusebius autem Cæsariensis *cap. 1. L. VIII.* mores Christianorum sub finem seculi III. eo usque contaminatos fuisse scribit, ut manifestam Numinis ultionem, & horribilem illam sub Diocletiano vexationem post se traxerint: *Cum ex nimia*, inquit, *libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus ; cum alter alteri invidere atque obtrectare cœpisset ; cum inter nos quasi bella intestina gereremus, verbis, tanquam armis quibusdam, hastisque, nos mutuo vulnerantes ; cum Antistites adversus Antistites ; populi in populos collisi, jurgia ac tumultus agitarent ; denique cum fraus & simula-*

tio

tio adsummum malitiæ culmen adolevisset: tum divina ultio levi brachio, ut solet, integro adhuc Ecclesiæ statu, & fidelium turbis libere convenientibus, sensim ac moderate in nos coepit animadvertere; orsa primum persecutione ab iis qui militabant. Cum vero sensu omni destituti, de placando Dei Numine ne cogitaremus quidem; quin potius impiorum quorundam res humanas nulla sollicitudine ac providentia gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjiceremus; Cum Pastores nostri spreta religionis regula, mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud, quam jurgia, minas, æmulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare studentes: Principatum, quasi tyrannidem quandam, contentissime sibi vindicantes, tunc demum, juxta dictum Hieremiæ, obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion, & dejecit de coelo gloriam Israel.

§. XVI. Quæ cum ita sint, magno in errore Pontificii versantur, quod *perpetuitatem* Ecclesiæ de splendore etiam, & statu feliciore, partim interno, partim externo accipiunt, eamque vel errare, vel omnino obscurari posse infitiantur ac negant. Nam quod ad florem, & splendorem externum attinet, docent illi, esse de ratione, naturaque Ecclesiæ veræ, ut omnium oculos non modo incurrat, instar civitatis super montem exstructæ, sed etiam perstringat. Imo non raro hac una de causa nostrum cœtum veram esse Dei Ecclesiam negant, quia is paucitate sua, finiumque angustiis constrictus, vix unius Germaniæ angulo, ita enim ipsi loquuntur, contineatur. Conf. *omnino Bellarminus de Eccl. c. 12. 13. Turrianus c. Sadeelem tract. 2. Lib. 3. c. 4. Stapletonus Relect. princ. doctr. controv. 1. qu. 3. art. 1.* Sed enim meminisse illi debebant, quod nullibi statum perpetuo beatum, aut, nescio quem, splendorem Ecclesiæ suæ promiserit Servator. Quin potius eidem continentes miserias, vexationes, & calamitates prædixit.

dixit. Omnes enim qui cupiunt pie vivere in Christo Iesu, hos vexationes oportet perpeti *2. Tim. III, 12.* sunt tanquam purgamenta mundi, & piacula facti. *1. Cor. IV, 13.* Hinc Ecclesia dicitur afflicta, procellis agitata, consolatione destituta *Jes. LIV, 11.* derelicta, & terra desolata *c. LXII, 4.* Grex pusillus *Luc. XII, 32.* Salutatur quidem aliquando, urbs in monte sita, & domus Dei *Matth. V, 13. 1. Tim. III, 14.* Veruntamen aliquando etiam umbraculum in vinea, & tuguriolum in cucumerario, & civitas devastata *Jes. I, 8.* & valde imperitum rerum, ac tantum non omnis Scripturæ, historiæque expertem esse oportet, qui ejus rei exempla numero plurima, & gravissima non observarit.

§. XVII. Sed enim quod errare possit Ecclesia, id vero Pontificii constantissime negant, causati, *Christum promisisse Ecclesiæ Spiritum S. inducturum eam, in omnem veritatem, & securum esse alioqui, quod portæ inferorum adversus eam possint prævalere.* Neque vero nos negamus, Ecclesiam luculentas promissiones habere; id tantum addimus, quod non *absolute*, sed sub quadam *conditione* sint datæ, si nimirum obsequatur voluntati divinæ revelatæ in Verbo, seque patiatur gubernari a Spiritu Veritatis. Uti enim dux viæ gnarus hunc, illumve de errore securum esse jubet, dummodo se præiturum sequatur, & Pastor gregem certo ad pascua salubria deducit, dummodo non deseratur ab ovibus; ita etiam quoad Ecclesia Spiritum S. lumen in Scriptura præferentem, & vocem Christi, pastoris sui sequitur, aberrare a tramite veritatis non potest. Id vero est quod dolemus, homines aliquando tenebras magis amare quam lucem, & contumaciter negligere vias a Domino monstratas in verbo. Quid igitur mirum, eosdem declinare a veritate? Nam cum videamus homines in Ecclesia, non obstantibus exquisitis

pro-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn328073946/18 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

promissionibus de gubernatione divina in omnibus viis suis, nihilominus in gravissima, & atrocissima peccata, contra conscientiam incidere, ac prolabi, si oblatam a Spiritu gubernationem non ferant, quis dubitet eosdem, quicquid sit de divinis illis Spiritus S. promissionibus, errores capitales concipere, ac fovere posse? Nec enim ratio apparet, cur, cum singuli in Ecclesia prolabi e statu gratiæ, & peccata mortalia committere possint, hæreses & capitales errores concipere in intellectu non possint. Saltem illa de Spiritu S. inducturo Apostolos in omnem veritatem promissio non obstat, quum verba perspicue ostendant, eandem non ad totam Ecclesiam, sed ad solos Apostolos pertinere, quibus, ob plantationem Ecclesiæ, isto privilegio opus fuit, & res ipsa id loquitur, Christum respexisse ad miraculosam Spiritus S. effusionem super Apostolos, atque inde oriundas dotes bene ministrandi prorsus extraordinarias, singulisque adeo Ecclesiæ membris nec promissas, nec expectandas. Quod vero Christus portas inferorum adversus Ecclesiam prævalituras esse negavit, id vero non tam de cœtu *Vocatorum*, & *Ecclesia visibili*, qua de disputatur h. l. quam de cœtu *Electorum*, & sub illa demum conditione intelligi debet, siquidem in illa de Christo confessione, cujusmodi Petrus ediderat, velut in petra quadam, per veram fidem immoti perstiterint.

§. XVIII. Alioqui ex ipsa Scriptura constat, Ecclesiam V.T. quam veram fuisse, nemo inficias iverit, & crebro & enormiter errasse. Deum immortalem! in quam fœdam idololatriam statim a morte Josuæ prolapsi sunt Israëlitæ *Jud. II, 10. sq.* Quam sæpe, atrociissimis licet calamitatibus & plagis retracti, redierunt ad eam? Quoties gloriam Dei sui mutarunt? Conf. *Ierem. II, 8. 9.* Imo vero vix

ex Ægypto egreſſos, in ipſoque adeo deſerto, eosdem Liberatoris ſui oblitos, & ad idolorum cultum converſos fuiſſe, Stephanus cum Amoſo queritur *Act. VII, 41. ſeqq.*

§. XIX. Verum hic denuo excipit Bellarminus: *ab Eccleſia Vet. Teſtamenti non oportere concludi ad Eccleſiam Novi, quod illa tot tantasque promiſſiones, quantas hæc acceperit, non habuerit.* Sed enim reſpondemus, Eccleſiam V. T. non modo non *minores*, ſed & propemodum majores, & excellentiores, quem Eccleſia N. T. promiſſiones divinitus accepiſſe. Nam fœdus, quod in Circumciſione cum Abrahamo, hujusque poſteritate inierat, ipſe Deus nominat *fœdus ſempiternum Gen. XVII, 7.* & de Sione dicit: *Hæc eſt requies mea in ſeculum ſeculi Pſ. CXXXVII, 14.* Jeremiæ autem *cap. XXXII, 37.* confirmat, citius univerſum naturæ ordinem turbatum iri, quam populus Iſrael ſuus eſſe deſinat: *Hæc*, inquit: *dicit Dominus, qui dat ſolem in lumen diei, ordinem Lunæ, & ſtellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & ſonant fluctus ejus: Dominus exercituum: ſi defecerint leges iſtæ coram me: tunc & ſemen Iſrael deficiet, ut non ſit gens coram me, cunctis diebus.* Luculenta, fateor, & plena conſolationis promiſſio eſt, quod Eccleſia N. T. *fundanda* ſit ſuper Chriſto, & quod portæ inferorum adverſus eam non ſint prævalituræ; ſed non minoris momenti promiſſiones habuit Eccleſia V. Teſtamenti. Quid clarius eo: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis: diligit dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob: Glorioſa dicta ſunt de Te, civitas Dei Pſ. LXXXVII, 1. 2.* Et quid pulcrius illa Davidis voce: *Deus noſter refugium, & virtus: ſi terra loco moveretur, & montes in medium mare præcipitarentur: Deus in medio civitatis ſuæ: non commovebitur: adjuvabit eam Deus ante auroram &c. Pſ. XLVI, 1. 2. 6.* Eſto

has

has promiſſiones etiam ad Eccleſiam N.T. ſpectare: Sufficit, quod Eccleſia V. T. excludi non' posſit, quum utraque in fundamento conveniat *Eſ. III. 28.* & non geminum, ſed unum Chriſti *corpus*, utut diverſimode, ut ita loquar veſtitum, detur *Eph. IV, 2.* Si proinde Eccleſia V.T. non obſtante illa promisſionum divinarum amplitudine, nihilominus potuit errare, & graviſſime ſæpenumero erravit, quis dubitet, illud in Eccleſiam N.T. utut exquiſitis promiſſionibus ornatam, cadere poſſe? Et vero cum tam multas atrocesque hæreſes enatas in Eccleſia fuiſſe in hiſtoriis legamus, an non parum verecunde negatur, Eccleſiam poſſe errare? Etſi enim quis excipere Pontificius auſit: *errantes omnes, hoc ipſo quod conceperint errores, deſiſſe membra Eccleſiæ*, ex hoc tamen non magis ſequitur, Eccleſiam non poſſe *errare*, quam ex eo, quod renati aliquando in peccata mortalia prolapſi deſinunt eſſe renati, concludere fas eſt, renatos non poſſe *peccare.* Sufficit, quod ante conceptos proditosque errores in Eccleſia fuerunt, etſi poſt eosdem diſſeminatos, ac pertinaciter defenſos membra illius eſſe deſierunt.

§. XIIX. Hic tamen ſollicite cum Eccleſiæ, ut ita loquar, genera, tum errores, qui committi ab ea poſſunt, diſtingui debent. Eccleſia enim alia eſt univerſalis, alia particularis. Utraque partim viſibilis, partim inviſibilis. Inviſibilis denuo vel vocatorum eſt, vel Electorum: errores denique alii fundamentum evertunt, alii ſalvum & incolume relinqunt. His ita diſtinctis, ſtatuimus (1.) *Eccleſiam univerſalem viſibilem errare poſſe in capitibus doctrinæ tum fundamentalibus, tum non-fundamentalibus.* Quod patet exemplo Eccleſiæ paradiſiacæ nec non eccleſiæ ab eluvione orbis proximæ, quippe quæ tempore procedente, ac ſenſim paulatimque, a ſana doctrina ita

defecit, ut tandem intra unius Abrahami familiam ea contineretur. Jam quando tempore Ahasi regis decem tribus Israeliticæ sacris idololatricis a Jeroboam invectis mordicus inhæserunt, Iudæi vero sacrificia stata & solennia omittendo, altaria removendo, templum ipsum ocludendo, omnem veri Numinis non modo cultum, sed sensum etiam exuerunt, vel quando, Christo in terris commorante, Iudæi, inter quos solos dabatur Ecclesia, mysterium Trinitatis ignorarunt, Messiæ regnum quoddam terrestre, mundanum, ac visibile expectarunt, justitiam ex Operibus quæsiverunt, ad hypocrisin & speciem externam cuncta composuerunt, traditionibus denique humanis omnia impleverunt, annon tota, quæ videri poterat, Ecclesia, etiam in fundamento, erravit?

§. XXI. Interim II.) etiam illud adjicimus, *quod error in fundamento commissus ad omnia universalis Ecclesiæ visibilis* membra extendi non debeat. Latet enim Ecclesia *invisibilis*, in *visibili*. Si proinde error fundamentalis ad omnia hujus membra extenderetur, fieri non posset, quin ipsa quoque Ecclesia *invisibilis* universe sumpta, totusque adeo *Electorum* cœtus errorem in fundamento conciperet. Id quod est falsum. Negat enim Dominus, seduci posse Electos *Matth. XXIV, 24.* Seducerentur autem omnino, si errores in fundamento admitterent. Tum vero si ad omnia visibilis Ecclesiæ membra dimanaret error, inferorum portæ prævalerent adversus eam *Matth. XVI, 8.* Quapropter utut videantur aliquando hi aut illi errores totam inundare Ecclesiam, nemini tamen dubium esse debet, quin hinc inde reliqui maneant nonnulli, utut numero pauci, qui perseverent in fide, hujusque fundamentum sancte custodiant, cujus rei exempla, tempore nati Servatoris, in *Zacharia*, *Simeone*, *Hanna*, & aliis, observamus.

§. XXII.

§. XXII. Quod vero ad *particulares* Eccleſias attinet, hæ III.) *non modo in capitibus ad fundamentum non pertinentibus, ſed etiam in ipſo fundamento errare poſſunt.* Etenim Eccleſia *Corinthiorum* ſchiſmata fovendo in non-fundamentalibus, *Galatarum*, legis opera Chriſti meritis aſſuendo, *in fundamentalibus* erravit, unde & evacuati a Chriſto, & gratia excidiſſe Apoſtolo dicebantur. Nec modo errorem *ad tempus* concipere, ſed & *in perpetuum* fovere poſſunt. Id quod exemplo Eccleſiæ Iſraeliticæ doceri poteſt, quæ poſtquam a Ieroboamo ad moſcholatriam ſeducta fuit, nunquam ab eadem legitur receſsiſſe. Si tamen illa conſideretur, ut *inviſibilis*, & *Electorum* reſpectu, tum errare quidem in fundamento *ad tempus*, non tamen in *perpetuum* poteſt. Uti enim nil impedit, quo minus Electi per peccata mortalia & contra conſcientiam commiſſa prolabantur *ad tempus* e ſtatu gratiæ, ita etiam nil obſtat, quo minus errores concipere poſſint ad tempus, qui fidem deſtruant, ac fundamentum evertant.

§. XXIII. Quibus ita diſputatis facile apparet, nihil abſurdi eſſe ſtatuere, quoddefecerit a ſana doctrina, & vera religione *Eccleſia Romana*, quodque gravibus & foedis erroribus corrupta fuerit ante Lutherum. Utut enim ea latiſſime olim patuerit, & totam prope Europam occuparit, eſt tamen, & manet particularis Eccleſia, quum præter illam etiam fuerit *Græca*, quæ non modo ejusdem cum Romana, ſeu Latina & occidentali dignitatis fuit, ſed amplitudinis etiam majoris. Nec extat peculiare privilegium, per quod ab errandi periculo ſit exempta, cum ad ea, quæ alioqui pro ſe allegare ſolent, Scripturæ teſtimonia ex *Matth. XVI, 18.* & *Joh. XIV, 16. 17. XVI, 12.* jam ſupra, reſponſum fuerit. Quin & ipſa ex hiſtoria oſtendi poteſt, non fuiſſe alienum ab Eccle-

ſia

sia Romana, ejusque Antistite, errare. Victor II. ausus est Polycratem Ephesium censura notare, quod eodem secum die paschatis festum celebrare noluerat, reprehendendus merito suo ab Irenæo, qui bene ac sapienter monebat, dissonantiam jejunii non oportere tollere consonantiam fidei. Liberium Papam, *Arianum*, Cœlestinum, *Nestorianum*, Vigilium *Eutychianum* fuisse, ne ipsi quidem Pontificii sustinent diffiteri. Seculo VII. Bonifacius III. titulum sibi sumpsit *Episcopi Oecumenici*, quale quid ausurum seculo VI. Gregorius M. in Epist. ad Eulogium *Anti-Christi prodromum* appellarat. Seculo autem IX. Gregorius VII. vel uti vulgo dicitur, Hildebrandus, talem sese gessit, ut *Aventinus* L. V. Annal. Bojorum f. 455. scribat: *Plerosque tum ipsum dixisse Anti-Christum in templo Dei sedentem:* Et p. 470. *Plerosque bonos, apertos, justos, ingenuos, simplices, tum imperium Anti-Christi cœpisse, professos.* Et quis neget capitalem admisisse errorem universam occidentalem Ecclesiam, quando in Concilio Constant. Sec. XIV. *non obstante* Christi Servatoris institutione S. Cœnam, non sub *utraque*, sed *una* tantum specie dispensare jusit? Hinc ipsi aulæ Romanæ Purpurati Pisis in Italia congregati in suis ad Romanum Imperatorem literis sunt fassi: *Labi Ecclesiam, opprimi bonos, impios efferri, mergi justitiam, coli impietatem, surgere, in sinumque recipi infideles.* Et Imperator Maximilianus I. legatis Pisas missis Ao. 1511. cognovit, *calamitates Ecclesiæ tantas esse, ut ex iis detrimentum fidei orthodoxæ, & incrementum malorum omnium subsequatur*, apud *Seckendorff. in Hist. Lutheran. f. 5.* Idem in Concilio Laterarensi Ao. 1512. questus fuit *Ægidius Viterbrensis*, Augustinianorum Generalis, apud *Edm. Richerium L. IV. P. II. de Concil.* Denique *a Pontifice Rom. tanquam capite, malum ad omnia Ecclesiæ membra di-*

manasse

manasse, ipse Hadrianus VI. Pont. R. in mandatis, quæ dederat Legato suo ad Comitia Ratisponensia, est fassus, quod ipsum *Sfortia Pallavicinus* in Hist. Conc. Trid. L. II. c. 7. §. 8 & 10. censet fuisse *candorem nimium*, *& ardorem intempestivum*. Quid multa? E Pontificiis ipsis *Alphonsus* a *Castro* L. I. c. hær. c. 4. *impudentes* eos *Pontificis assentatores* vocat, qui eundem in explicanda Scriptura errare posse negent. E nostris vero Ecclesiam Romanam gravissimorum errorum ream peregerunt, *Hunnius in Apostasia Eccl. Rom. item in Pelle ovina papatui detracta*, *Heilbrunnerus in Papatu Acathol. & D. Zæmannus in Vindiciis: Balduinus in Phosphoro veri Catholicismi: Dannhauerus in hodomor. Papistica: Calovius in Matæol. Papistica*, &, quem multo superiore loco nominare debueram, *M. Kemnitius in examine Conc. Tridentini*, quæ quidem jamdudum publicata scripta huc dum a Pontificiis refutata fuisse non memini.

§. XXIV. Hic autem magnos tollunt clamores adversarii, & dicunt: *hoc pacto secuturum esse, quod per X. & amplius, secula, nulla fuerit vera Ecclesia*, quod ipsum contrarietur divinis promissionibus, de perpetuitate Ecclesiæ. Sed talia objectantes remittimus I.) ad Ecclesiam *Græcam* in Oriente, quæ, ut supra monuimus, amplitudine non inferior, doctrina vero & moribus etiam purior fuit. Etsi enim suis quoque erroribus, ac maculis, fuit infecta, eæ tamen nec tam multæ, nec tam enormes fuerunt, quam quidem fuerunt illæ, quibus Occidentalis, & Latina Ecclesia laboravit. Negabat enim *in explicandis controversis Scripturæ locis unius Romani Pontificis sententia standum esse: efficaciam ministerii a docentium intentione pendere: Sacram Cœnam sacrificium esse: Potestatem Romani Pontificis ad totam sese Ecclesiam extendere: Dari purgatorium* &c. Contra vero docebat,

S. Cœnam dispensari debere sub utraque: imagines retinendas quidem, non tamen adorandas esse: Confessionem auricularem, Orationem pro defunctis, & indulgentias rejici oportere: Clericis permitti debere matrimonium &c. Denique Græcos cum A. C. sociis in quamplurimis doctrinæ capitibus, in quibus alioqui a Pontificiis disident, consentire, collatis inter *Jeremiam Patriarcham* CPtanum, & *Tubingenses Theologos* sententiis patuit, de quo Vid. *Acta t. t. Tubingæ publicata*, in quibus, R. II. f. 200. ipse Jeremias Tubingenses, his verbis alloquitur: *Non minimum lætatur mediocritas nostra, quod in multis* (& ut alibi dicit, ἐν κυριωτέροις) *vestra doctrina cum nostra consonat Ecclesia.* Conf. B. *Veilius de Ecclesia Græcanica, & Kromayerus in Scrutin. relig. de Anatolic. p. 263. sq.* Floruit autem etiam externe & civiliter Ecclesia Græca per omnia illa secula, quibus sub jugo Pontificis Romani omnium maxime gemuit Ecclesia Occidentalis, cum annis non usque adeo multis, ante emendationem religionis per Lutherum, capta sit a Turcis Constantinopolis, Græcorumque in Oriente imperium eversum.

§. XXV. Remittimus II.) ad Ecclesiam *Waldensem* in Occidente, cujus quæ fuerint dogmata, *Æneas Sylvius*, Histor. Bohem. c. XXXIV. p. m. 67. sq. exponit: *Pestiferæ*, inquit, *ac jam pridem damnatæ factionis dogmata sunt: Rom. Præsulem reliquis Episcopis parem esse. Inter sacerdotes nullum discrimen, Presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiorem. Animas e corporibus excedentes, aut in æternas e vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inveniri. Vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ sacerdotalis inventum. --- Aquarum, palmarumque benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos dæmones invenisse. Nullum capitale peccatum, quantumvis*

tumvis

tuendis majoris mali vitandi gratia, tolerandum.---Confirmationem, quam Chrismate Pontifices inducunt, & extremam unctionem, inter Ecclesiæ sacramenta minime contineri. Auricularem confessionem nugacem esse; sufficere sua quemque Deo in cubili suo conqueri peccata. Baptisma fluvialis undæ, nulla interjecta sacri olei mixtura, recipiendum. Cœmiteriorum inanem usum quæstus causa repertum: quacunque tegantur tellure humana corpora, nil distare. Templum Dei late patentissimum mundum esse: coarctare Majestatem ejus, qui Ecclesias, Monasteria, Oratoriaque construunt, tanquam propitior in eis divina bonitas inveniatur. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vasaque hujusmodi nil habere momenti. Sacerdotem quocunque tempore sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusque ministrare: sufficere, si verba sacramentalia tantum dicat. Suffragio Sanctorum in cœlis cum Christo regnantium frustra impetrari, quæ juvare non possunt. In Canonicis horis cantandis dicendisque frustra tempus teri. Nulla die ab opere cessandum, nisi quæ dominica nunc appellatur. Celebritates sanctorum prorsus rejiciendas. Jejuniis quoque ab Ecclesia institutis nihil inesse meriti. Hæc olim *Waldensis* Ecclesiæ dogmata fuerunt, quæ num magno intervallo distent, ab iis, quæ statuunt A. C. socii, sapientibus judicandum relinquimus. Etsi enim eruditissimus in Galliis Episcopus *Jac. Benignus* Bossuetus, in libro de *revolutionibus Protestantium*, vehementer operam dedit, ut eam nobis Ecclesiam, quam fieri posset, fœdissime descriptam sisteret, Petrus tamen *Allixius* genere Anglus, doctrinæ varietate insignis, aliquot abhinc annis, famam ejus a Bossueti calumniis, peculiari libello egregie vindicavit, ostenditque veritatem cœlestem, inde ab Apostolorum temporibus, usque ad P. Waldum civem

Lugdunenſem, in ea Italiæ parte, quæ olim Inſubria, nunc Longobardia nominatur, vicinoque huic Pedemontio, divinitus conſervatam, & ad poſteros propagatam fuiſſe. Addo *Æneam Sylvium* in ipſa Husſitarum, quibuscum Waldenſes comparat, tempora incidiſſe, ac poſtmodum Pontificem Rom. ſub nomine *Pii II.* creatum fuiſſe. Quem uti falli poſſe Pontificii negant, ita, quin hac etiam in parte vera illum ſcripſiſſe fateantur, declinare non poterunt. Conf. *D. Æg. Strauchius de Waldenſibus & Heſterberg. de Eccl. Waldenſ. nec non Magnif. Dn. D. Fechtius in Hiſt. Colloqu. Emmending. p. 305.*

§. XXVI. Imo vero III.) Pontificios ad ſuam ipſorum Eccleſiam h. e. Romanam, & Occidentalem remittimus. Fuit enim in mediis etiam Papatus tenebris Eccleſia Romana *vera* Eccleſia, ſi *vera* opponatur *nulli.* Non enim *nulla*, ſed utique *aliqua* fuit Eccleſia in Occidente, & apud Latinos. Semen enim Eccleſiæ ſunt verbum & ſacramenta, quorum efficacia & vis uti a nulla hominum intentione, aut conſilio, aut conditione & qualitate dependet, ita fieri non poteſt quin ubicunque ſemen illud ſpargitur inter homines, quædam Dei Eccleſia, & cœtus vocatorum naſcatur. Jam vero in medio etiam Papatu aliquod Dei verbum ſuperfuit, prælecti ſunt populo textus dominicales in templo, inculcatus fuit Decalogus in Scholis, juxta & Symbolum Apoſtolicum, aſvefacti ſunt homines ad Orationem dominicam, & multi ſibi t. t. breviuſculas quidem, ſed nervoſas tamen, & aptas compoſuerunt precandi formulas, quibus animæ ſuæ ſalutem Deo ardentiſſime commendarunt. Tempore Quadrageſimarum non modo prælecta, ſed & acta fuit paſſio Servatoris, & quaſi ante oculos Chriſtus cum ſuis meritis pictus. Diſpenſatus quoque fuit Baptiſmus, multis quidem, ac ſæpe ineptis, ritibus maculatus, veruntamen, *qua ſubſtantiam* integer.

teger. Extiterunt quoque ab aliquot seculis Biblia in patrium sermonem conversa, quorum a lectione laicos, ante emendationem religionis per Lutherum, prohibitos fuisse non legimus. In monasteriis, & Academiis evoluta sunt nonnunquam *Hieronymi*, *Augustini*, aliorumque scripta, quibus verbum Dei recte, copioseque proponitur, & quibus sese ad cognoscendam veritatem perductum esse *Lutherus* ipse fatetur in *Epist. ad Langum Ao. 1516. ap. Aurifabrum T. I. p. 35.* Superfuit igitur *in Papatu*, & ante Lutherum, Dei verbum: superfuit dispensatio Sacramentorum, quorum beneficio ut colligitur, & conservatur Ecclesia; ita t. t. quandam quoque in occidente, & apud Latinos, Ecclesiam fuisse recte concludimus.

§. XXVII. Interim *a veritate* ad *omnimodam munditiem*, & puritatem, non est concludendum. Vinum aqua dilutum verum quidem vinum est, sed non merum: acervus tritici, cui paleæ sunt admistæ, verum quidem est triticum, sed non purum. Ita etiam Ecclesia Romana, ante Lutheri tempora, vera fuit Ecclesia, sed non pura. Vera fuit in oppositione ad *nullam*, non in oppositione ad *orthodoxam*. Propositum est Dei verbum, sed parce, sed admistis cavillationibus, fabulis, humanique ingenii commentis. Proposita est doctrina de Deo & Christo, de peccato & Sacramentis, sed admista fuerunt capita de adoratione Mariæ, de mediatoribus Sanctis, de meritis operum bonorum, de Purgatorio, de indulgentiis, de sacrificio Missæ, de chrismate, de suprema potestate Papæ, & alia id genus sexcenta, quibus Dei verbum, velut paleis triticum, aut scoriis aurum, corruptum est ac infectum. Uti proinde in V. T. & maxime circa tempora missi in mundum Servatoris, Iudæi habuerunt Mosen & Prophetas, quos debebant, & poterant audire *Luc. XVI, 24.*

quosque idonei homines singulis diebus Sabbathi prælegebant *Act. XV, 21.* quibus etiam prælectis ac recitatis fides in Messiam concipi, & charitas erga proximum addisci poterat, sic tamen, ut Mosis ac Prophetarum scripta falsis doctorum interpretationibus corrumperentur, & multitudine traditionum, ac rituum onerarentur conscientiæ, & negligerentur fundamenta sanæ doctrinæ de Messia, hujusque divinitate, satisfactione, ac meritis; ita etiam majores nostri sub Papatu habuerunt Verbum & Sacramenta, e quibus potuerunt concipere fidem & charitatem, sed quia docentium culpa variis rationibus hæc duo contaminata fuerunt, hinc Ecclesiam quidem, veruntamen corruptam constituerunt.

§. XXIIX. Itaque porro distinguendum est inter *Papatum ipsum*, & id, quod *in papatu*, ac *sub papatu* fuit. Papatus ipse, quantus quantus est, ex erroribus, sceleribusque conflatus est. Debet enim originem suam Cacodæmoni, qui pater mendacii, omnisque corruptelæ est. Si quis enim quærat, in quo demum consistat Papatus, & quæ ad eundem sint referenda, tum vero ad eundem non revocanda sunt Verbum Dei, aut Sacramenta, aut veritates erutæ ex Scripturis, utpote quod credimus, *Deum esse P. F. & Sp. S. Christum esse verum Deum & verum hominem, & redemisse genus humanum suo sanguine, & corpus sanguinemque suum legasse nobis in Coena, vel etiam, honorandos esse parentes, neminem esse lædendum, erogandas esse eleemosynas, studendum esse bonis Operibus, aliaque id genus.* Hæc enim omnia fundata sunt in Scripturis, & in Ecclesia tradita, juxta & credita, antequam vel Papæ, vel Papatus nomen auditum est inter homines. At vero *quod Scripturæ traditiones, vel verbum quoddam non-scriptum, assuunt, quod quidam novum Trinitatis humanæ collegium blasphеme comminiscuntur, cujus prima perso-*

na

na sit Christus homo, altera Maria, tertia Josephus, quod Christum pro originali quidem peccato, non autem actualibus satisfeciſſe ſomniant, quod juſtificari ex operibus cupiunt, quod vires hominis naturales amplificant, quod Baptiſmum putidis ceremoniis maculant, quod calicem in Cœna Laicis ſubtrahunt, quod Chriſto, uni mediatori, ſanctos cœlitesque adjungunt, purgatorium ſtatuunt, imagines adorant, hæc vero, aliaque id genus, numero plurima, Papatum conſtituunt, ac abſolvunt. Quis autem hæc talia originem ducere a Deo, ac non potius a Diabolo, patre erroris ac mendacii, dixerit?

§. XXIX. At enim vero non id omne quod *in Papatu* ac *ſub Papatu* fuit, impium, aut erroneum ac rejiculum fuit. Sedet enim Anti-Chriſtus *in templo Dei 2. Theſſ. II, 4.* quod omni veneratione dignum eſt, ſeu Anti-Chriſtus in eo ſedeat, ſeu non ſedeat. Diſtinguatur triticum a paleis, aurum a ſcoriis, illud quod verum ac Chriſtianum fuit, ab eo, quod eſt Papiſticum. Fuit *in Papatu*, ac *ſub Papatu* Eccleſia, fuit ſemen Eccleſiæ verbum & ſacramenta, fuit innixa Dei verbo religio, fuit penes aliquos ſincera fides, & charitas, quis improbet hæc ac rejiciat? Chriſtianæ religionis in Papatu *reliquiæ* non ſunt confundendæ cum invectis a filio perditionis erroribus, ac corruptelis. *Illæ* Deo, & Spiritui veritatis, *hæc*, Diabolo, & ſpiritui mendacii debentur. *Illas* retinuit, aſſeruitque, & amplificavit Lutherus cum ſociis: *has* improbavit, auctoribusque ſuis reliquit. Per *illas* quidam in Papatu ſervati, per *has* plerique damnati ſunt.

§. XXX. Denuo igitur diſtingui debet inter Eccleſiam *viſibilem* ac *invisibilem*. Etſi enim hanc vulgo rideant Pontificii, & neſcio quam *Utopicam* Eccleſiam nos ſomniare clament, eſt tamen fundata diſtinctio in Scripturis, quæ docent, eo usque corrumpi poſſe externum viſibilemque voca-

to-

rum hominum coetum, ut vix aliqua veræ Eccleſiæ, aut religionis, in eodem veſtigia ſint ſuper. Et tamen etiam in corruptiſſimo coetu, per ſingularem, ac prope extraordinariam, Numinis gratiam remanere poſſunt non pauci, qui ſe ab ingraveſcentibus doctrinæ corruptelis longe removeant, iisque vel voce, vel animo ſaltem contradicant, Deo autem vera fiducia tenacius adhæreant, charitate, patientiaque propius jungant, denique cum invectis in Eccleſiam erroribus ſcandalisque nihil commercii habeant. Hi nobis *inviſibilis* Eccleſia appellantur, non quod ratione *ſui*, & *ut homines*, videri non poſſint, ſed quod ratione *internæ cum Deo per fidem, & cum proximo per charitatem communionis*, nemini, præterquam Deo καρδιογνώστη, ſunt cogniti. Ita 7000. Iſraelitarum, qui tempore Iorami non inflexerant genua ſua coram Baal, ſed Deo vero ſanctiſſima religione conſtanter adhæſerant, qua interius cum Deo, & intra ſe vinculum, non erant notabiles, unde & Elias Propheta ſe ſolum ex omni ſervorum Dei multitudine ſuperſtitem eſſe arbitrabatur. Sed falſus erat. Etſi enim ab *hominibus* obſervari coetus ille non poterat, poterat tamen a *Deo*, qui etiam intima cordium penetralia, & abditos animorum receſſus, perſcrutatur, ac inſpicit. Fieri ergo poteſt, ut Eccleſia externa viſibilis multis rationibus ſit corrupta, & tamen in eodem illo corrupto coetu ſint multi, qui vera fide adhæreant Domino, etſi fides eorum aliorum ſenſus & oculos non incurrat, quo pacto qui *viſibiles* ſunt & manent qua *homines*, *inviſibiles* judicantur, qua ſunt *fideles*. Sic etiam tempore nati Chriſti totus Iudæorum cœtus, quod ſupra oſtendimus, foedisſime erat corruptus, ſupererant tamen non pauci, qui cum *Zacharia*, *Simeone*, *Hanna*, & aliis, ſeriis gemitibus, expectabant Meſſiam, ejusque ſibi merita vera fiducia applica-

plicabant, nec cum Phariſæis, Pontificibus, aut legisperitis, ceteraque multitudine, terrenum aliquod, & viſibile regnum, ſed multo nobilius, & beatius expetebant. Talis igitur, etiam medio *ſub Papatu*, &, quo tempore maxime dominata fuit tyrannis Romani Pontificis, multi haud dubie fuerunt, qui, cum per baptiſmum recepti in foedus gratiæ conceptam ſemel fidem ſanctius cuſtodirent, nec ſpiritum gratiæ, ac precum, quo fuerant obſignati, excuterent, ſed ſimplici potius fide apprehenderent Chriſtum, in ejusque recumberent meritis, & a peccatis gravioribus, & contra conſcientiam abſtinerent, vera corporis Chriſti membra manſerunt, æternumque ſalvati ſunt. Fuit quidem t. t. Eccleſia multis, graviſſimisque erroribus obruta; veruntamen hos ipſos errores multi vel plane non admiſerunt, aut ſi omnino ſunt occupati ab illis, admiſerunt hujusmodi, qui fundamenta ſalutis *directe*, neceſſarioque, non evertebant. Admiſerunt quoque *infirmitate* magis, & per ignorantiam invincibilem, quam voluntate, ſtudio, ac *malitia*. Hi proinde clementer ſunt condonati a Deo, in articulo mortis, ob interpellationem filii, qui errores illos non magis iisdem imputare voluit, quam fidelibus peccata infirmitatis, quæ omittere non ſemper eſt in poteſtate humana. Fuerunt enim ſaniora, & rectiora credere parati, dummodo fuiſſent qui traderent: erraruntſed quoniam *aliena* magis, quam *ſua* culpa erraruntper abundantiſſimum Chriſti meritum errores ſunt condonati, & ſanguine Servatoris illæ veluti maculæ elutæ, quæ hoc tempore, quo meliora ſcire, & credere *poſſumus*, dummodo *velimus*, eadem facilitate non transmittentur.

§. XXXI. Fuit igitur *in* medio *Papatu*, & *ante Lutherum* non modo vera, ſed & vere Evangelica, imo *Lutherana* Eccleſia. Quod etſi abſurdum poterat videri, abſurdum tamen non eſt. *Evangelica* enim Eccleſia eſt quæ Evangeli-

um audit fidemque ex eo concipit, quæ foedus Evangelicum per Sacramenta init, initum confirmat, ac digne denique Evangelio vivit. *Lutherana* eſt, quæ eadem confitetur ac ſtatuit, quæ confitentur ac ſtatuunt Lutherani, ſive de coetero hoc *nomine* appelletur, ſive non appelletur. Tantum obſervandum eſt, diſtingui oportere, inter Eccleſiam *Lutheranam* ratione *nominis*, & ratione *rei*. Qua *nomen* facile damus, ante Lutheri tempora nec auditam fuiſſe Eccleſiam Lutheranam. Ceterum ex eo non magis inferre licet, nullam antea Eccleſiam Lutheranam, qua *rem ipſam*, fuiſſe, quam ex eo, quod Chriſti Servatoris diſcipuli, aliquot poſt hujus in coelos evectionem, annis, primum Antiochiæ *Chriſtianorum nomine* inſigniti fuerunt, *Act. XI, 26.* concludere fas eſt, ante illud tempus neminem Chriſtianum, aut nullam Eccleſiam Chriſtianam fuiſſe. Omnes enim quotquot nobiscum, inde ab Apoſtolorum temporibus, conſenſerunt in doctrina Evangelii, hi *materialiter*, & *quoad rem* Lutherani, & membra Eccleſiæ veræ ac Evangelicæ fuerunt, ſive de cetero hoc *nomine* appellati fuerint, ſive non fuerint. Nam & aliquando tempus fuit, quo nondum invaluerat Eccleſiæ *Catholicæ nomen*, & ſatis inter eruditos conſtat, ſeculo demum IV. Chriſtianos orthodoxos, diſtinctionis ergo, *Catholicos* appellari cœpiſſe, quod e *Cod. Juſt. L. I. Tit. I. de Trin. & fide Cathol.* patet. Neque tamen propterea defuit Eccleſia *Catholica, qua rem*, cum ipſorum adverſariorum judicio, Eccleſia *vera*, *Catholica*, & *Apoſtolica* ſint Synonyma, adeoque fieri non poſſit, quin quamdiu in Orbe fuit *Apoſtolica*, tamdiu quoque fuerit *Catholica*, ſi non qua *nomen*, tamen qua rem ipſam.

§. XXXII. Idem igitur dixerim de *Lutherana*, & noſtra, quæ utut ſeculo demum XVI. diſtinctionis ergo, ab inſtauratore veræ doctrinæ, hoc *nomine* appellari cœpit, qua *rem* tamen ipſam, pridem ante Lutherum fuit, quum eadem illa doceat

ceat, juxta & credat *de Deo, & Trinitate, de Mediatore J. C. hujusque ſatisfactione, ac merito, de peccato, & viribus humanis, de fide, ac bonis operibus, de Sacramentis in genere & in ſpecie*, ceterisque primariis doctrinæ ſalutaris capitibus, quæ Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, aliisque credenda in literas retulerunt. Hoc tantum intercedit diſcriminis, quod Eccleſia, quæ ante Lutherum *latuerat* in Paptu, nec fuerat judicio humano *notabilis*, hoc ipſo duce coaleſcere cœpit in juſtum quoddam, *viſibileque* corpus, & priſtinum recuperare nitorem, & omnium oculos non modo incurrere, ſed & perſtringere.

§. XXXIII. Nec enim eſt putandum, quaſi Lutherus ſolus diſſenſerit a multitudine reliqua in papatu, aut venias improbarit, aut ſola nos fide in Chriſtum juſtificari crediderit. Imo vero *ſolidum ſtat fundamentum Dei, habens hoc ſignaculum: Nouit Dominus, qui ſint ſui 2. Tim. II. 29* Multos igitur, ut olim ſub Baaliſmo in Eccleſia Iſraelitica, reliquos ſibi eſſe voluerat, qui ſua genua non inflexerant coram Anti-Chriſto, vel fiduciam collocarant in veniis, aut operibus, ſed deteſtati βδελύγματα, quibus laborabat Eccleſia, ſimplici fide adhærebant Chriſto, hujusque unius fiducia erigebant ſeſe ac ſuſtentabant. Horum in numero fuerunt *Bernhardus*, cujus *Lutheraniſmum* Dn. D. *Gözius* Sup. Lubec. peculiari ſchediaſmate exhibuit, *Jo. Huſſius, Hieronymus Pragenſis, Taulerus, Sumerhardus, Jo. Hiltenus, Seb. Brand. Weſſelus Gröningenſis, Brulifer, Paulus Scriptoris, D. Pfennig, Heimburgius, Rud. Agricola, Nic. Ruſſius, Hier. Savanorola, Jo. Geilerus Keiſersbergius, Andr. Proles*, Monachus ſenior *Erphord.* qui Lutherum in conſcientia trepidum, nec, in quo conquieſceret, habentem, ad articulum Symboli Apoſt. *credo remiſſionem peccatorem*, remiſit, *aliique* numero plurimi, quos Catalogo teſtium veritatis pridem intulit

Matthias Illyricus. Quin imo Lutherum ipsum, etiam ante quam repurgaret Sacra, minime omnium Pontificium, sed potius Evangelicum fuisse, sub præsidio Dn. D. Fechtii peculiari dissertatione de Luthero Lutherano ante Lutheranismum ostendit B. Möllerus. Unde *Stapletonus T. II. 00. Or. Acad. 20. p. 616.* ex illius senis monachi, cujus modo fecimus mentionem, verbis, Lutherum *statim monstra illa, & portenta opinionum de libertate Christiana, de sola fide justificante, de speciali certitudine gratiæ, de imputativa justitia, aliaque concepisse* & peperisse: Gretserus autem *in Exercit. Theol. adv. hæret. p. 109. in* comment. in Orat. Hunnian pectus Lutheri *jam tum variarum sectarum seminarium* fuisse scribit. Et vero quam multi numero fuerint, qui eadem de religionis summa statuerint, quæ Lutherus, tum maxime est proditum, quando is impudentissimo veniarum Papisticarum institori Jo. Tezelio se opposuit, bellumque indixit Papatui. Tunc enim partibus illius tanta se adjunxerunt copia, ut emendata per eundem religio paucorum annorum spatio, quod incredibile dictu, universam prope Europam occuparet. Quod quidem minime fuerat futurum, nisi jam antea in medio extitissent Papatu, qui alieniore essent a Pontifice, illiusque imperio, animo, & anxii expectarent occasionem, excutiendi jugum illius, & proscribendi errores, quibus divinior cœtus fuerat fascinatus. Hi ergo, quoad non fuit integrum separatas a Pontifice rationes inire, & singularem visibilemque cœtum formare, Ecclesia fuerunt *invisibilis*, nec hominibus facile observanda, & quia in præcipuis saltem capitibus, & summa religionis cum Luthero fecerunt, eademque cum eodem senserunt, *Lutherani* omnino fuerunt quoad *rem*, etsi hoc *nomine* nunquam sint compellati. Nemini proinde dubium esse debet, quin Ecclesia Evangelica inde ab Apostolorum tem-

temporibus per omnia ſecula, usque ad Lutherum ipſum, duraverit, adeoque Lutherana Eccleſia ante Lutherum fuerit. Uti enim nunc apud Siculos ſunt multi, qui revera intra ſeſe ſunt partibus Auſtriorum addicti, etſi, quoad Gallo-Hiſpani apud eos rerum potiuntur, non audent propalam ſeſe Auſtriacos profiteri, aut Carolinos dicere, profeſſuri tamen ac dicturi, ſimulac id facere licuerit impune; ita etiam olim Chriſtianos inter multi fuerunt, qui non modo intra ſeſe eadem ſtatuerent, quæ Lutherus poſtea propugnavit, ſed & aliquando ſignificarent, ac proderent; etſi propalam non ſecederent a Pontificiis, aut e Papatu migrarent, ſed tempus commodum expectarent, quo recludere animorum receſſus, & quid corde premerent, aperire procul periculo poſſent.

§. XXXIV. Non officit huic ſententiæ quod a) *Miniſterium in Papatu extreme corruptum*, non modo qua *mores*, ſed etiam qua *doctrinam* fuit. Uti enim tempore nati Servatoris corruptiſſimum fuit apud Iudæos Leviticum ſacerdotium, & tamen nihilominus vera fuit Circumciſio, verum Paſcha, vera Lex Moſaica, ſingulis Sabbathis prælegenda *Act. XV, 12.* vera, & Deo placentia ſacrificia, dummodo cum fide in Meſſiam conjuncta eſſent &c. quibus omnibus & collecta, & conſervata fuit Eccleſia; ita etiam *ſub Papatu* verus fuit Baptiſmus, vera Coena, usque ad tempus Concilii Conſtantienſis, vera Scriptura, cujus partes propoſitæ & inculcatæ ſunt populo, aliaque id genus, quæ vim ſuam & efficaciam in iis omnibus oſtenderunt, qui Spiritui S. per eadem operaturo ſe non oppoſuerunt. Audientium quoque aures non raro puriores fuerunt lingvis docentium, & quæ Scripturæ verba *malo* ſenſu fuerant a *docentibus* prolata; hæc *meliore* ſenſu fuerunt ab *auſcultantibus* accepta.

XXXV. Non officit b.) *quod hi pauci numero fuerunt.*

Ubi enim duo aut tres congregati sunt in nomine Christi, ibi est Ecclesia *Matth. XIIX, 20. Etiam ubi tres, Ecclesia est, licet Laici*, scribit Tertullianus in Exhort. ad castit. *unusquisque enim de sua fide vivit.* Cum Ariani multitudine sua, & externo splendore, ut nunc Pontificii, superbirent: *Ubi sunt*, Nazianzenus ajebat in orat. c. Arianos, *qui ecclesiam multitudine definiunt, gregemque exiguum aspernantur?* Etsi proinde facile largiamur Ecclesiam Evangelicam, ante Lutherum, tam numerosam, ut nunc est, minime fuisse, sufficit tamen per omnia secula fuisse, utut paucos, qui eadem cum Luthero statuerent ac sentirent, *reveraque* adeo Lutherani fuerunt, utut caruerint *nomine.*

§. XXXVI. Non denique c.) officit causæ nostræ, *quod hi ipsi coetus publicos & sacra solennia, eademque a Pontificiis distincta, non celebrarunt.* Hoc enim non spectat ad Ecclesiæ essentiam, sed ad statum féliciorem, splendoremque externum, quem & abesse *posse* & aliquando *solere*, ab Ecclesia, supra monuimus, Tempore Eliæ septem millibus illis haud dubie non licuit publica celebrare sacra, & tamen veram constituerunt Ecclesiam. In triduo mortis Christi non coibant discipuli, sed dispersi erant quisque εἰς τὰ ἴδια, & tamen integritati ecclesiæ nihil decesit. Arianorum olim eo usque invaluerat perfidia, ut *Basilius epistola LXX.* conquereretur; *Domos orationis clausas esse, & altaria cultu spirituali vacare, & plane cessare Christianorum coetus.* De temporibus vero Anti-Christi ipse aliquando *Augustinus in homil. VII. in Apocal.* scribit: *tantum fore numerum malorum, ut aliquoties vix inter eos appareant justi.* Etsi proinde illis, qui ante Lutherum cum Luthero senserunt, sacra publica & solennia celebrare non licuit, hoc tamen non obstat, quo minus Ecclesiam Evangelicam potuerint constituere. Quod ipsum recentissimo, & luculento exemplo probabimus.

§. XXXVII.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn328073946/38 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

§. XXXVII. Enimvero viginti ablinc annis in *Valle Tefferег*, ſub ditione *Archi-Epiſcopi Salzburgenſis*, deprehenſi ſunt multi numero homines, qui, cum nullum vel templum, vel miniſterium Eccleſiæ publicum haberent, nihilominus tamen a ſuperſtitionibus Papiſticis alieni eadem credebant, quæ Lutherani. Ac B. quidem *D. Veilius* ſuſpicatur, eos eſſe poſteros iſtorum, qui jam tempore Lutheri Papatum deſeruerunt, præeunte quodam *Mart. Lodingero*, cujus epiſtolas duas conſolatorias adcives ſuos a Papiſtis vexatos, A. 1559. typis impreſſas recenſet, epiſtolamque *B. Lutheri* ad eundem Vitemberga An. 1532. miſſam in compendio exhibet, aliosque noſtratium libros, quibus illi fuerint uſi, nominatim recenſet. Hos boni illi *Tefferegenſes* clam aſſervarant & legerant, ex iisque puriorem doctrinam, noſtræ conformem, hauſerant, comtemptis ſuperſtitionibus Papiſticis, quibus aut nunquam, aut certe rariſime, nec niſi coacti, interfuerant. Quo nomine cum diu fuiſſent ſuſpecti Pontificiis, atque hi accuratius cum iis agendum ſibi eſſe putarent, tum vero demum apparuit *Evangelicos* eſſe, unde adeo male mulctati, ac ſolum vertere ſunt juſſi. Vid. *Caroli Memoral. ſec. XVII. L. IX. c. 29. p. 348. ſq.*

§. XXXIIX. Uti proinde coetus iſte nobiſcum in doctrina conſentiens, integrum, cum dimidio, ſeculum medios inter Pontificios, perduravit, reveraque *Lutheranus* fuit, etſi nec pro tali ab aliis habitus, neque etiam cultu ſacrorum non impedito, gaviſus fuit, ita nec dubium eſt, quin ante Lutherum, & in ipſo etiam Papatu fuerit Eccleſia quædam, in præcipuis ſaltem capitibus conſentiens cum noſtrate, quæque adeo reapſe Lutherana & Evangelica fuit, etſi nomen hoc t. t. ne fando quidem auditum fuerat.

§. XXXIX. Quæ cum ita ſe habeant, quid tandem opus eſt, poſtulare a nobis, *ut vel unum quempiam nominemus, qui eadem per omnia docuerit ac ſenſerit cum Luthero?* Eſto, eos,

eos, qui Lutherum præcesserunt ætate, non in omnibus minutiis cum eodem sensisse; sufficit, quod in *summa rei*, & *fundamento doctrinæ* convenerint, quodque ante Lutherum salvatus nemo fuerit, nisi qui, omni operum propriorum abjecta fiducia, cum Luthero, spem omnem in unius servatoris merito collocarit. Non adeo nova est doctrina nostra, ut ne unum quidem ex omni Doctorum æterum multitudine nominare possimus, qui nobiscum per omnia consenserit. *D. Pappus*, quod promiserat, præstitit, & ex unius *Augustini* scriptis totius religionis nostræ corpus extraxit. Idem in *Thoma Confessore* Dorscheus, idem in *Confessione Catholica* B. Gerhardus egregie ac solide præstiterunt. Quid vero his ipsis lucrati sumus? Si tantum veritatis interest, ostendisse cum veteribus consensum, age, Pontificii ex omni Patrum multitudine atque copia vel unicum allegent, qui eadem per omnia docuerit, statueritque cum decretis Concilii Tridentini. Cumque ipsi fateantur ac doceant: *Patres OMNES quantumlibet insignes vitæ innocentia, atque eruditione, subinde verbo scriptoque offendere*, ut loquitur *Laur. a Villavicentio de rat. stud. Theol. L. IV, 6. obs. 1.* & *præcipuos e Patribus in quibusdam non leviter lapsos esse*, ut Bellarminus *L. III. de V. D. c. 10.* scribit, ita ut *Petrus Lansenius* Jesuita, unum fere *Dionysium Areopagitam* a nemine hucdum notatum esse existimet, qui postulabant a nobis, ut unum aliquem afferamus, qui nobiscum per omnia senserit, cum fieri nequeat, quin hoc pacto errorum quoque, qui deprehenduntur in Patribus, sit confitenda societas.

§. XL. Nobis igitur, ad ostendendam *perpetuitatem* Ecclesiæ Evangelicæ, satis est, quod in eadem nihil docetur ac traditur, nisi quod a Christo & Apostolis est acceptum, piæque antiquitatis consensu firmatum, quodque nullo unquam tempore vel in *Oriente*, vel in *Occidente* defuerunt, qui, saltem in summa rei, convenirent cum Luthero, eandemque de præcipuis fidei capitibus doctrinam probarent, ac sequerentur.

TANTUM.

Coll. diss. A. 235, misc. 16